

notitia Dei, qua scit, se aliquos praedestinasse ad vitam aeternam: liber autem vitae secundum quid et late talis iuxta hos auctores est notitia Dei, qua scit, quinam sint habituri gratiam iustificantem tribuentem ius ad vitam aeternam. In primo libro inscripti sunt soli electi seu ad coelum praedestinati, et hi nunquam ex hoc libro delentur, nec deleri possunt potentia consequente; prout infra pluribus explicabimus. In secundo autem libro inscripti sunt etiam illi reprobi, qui ad tempus sunt iusti seu obtinent gratiam sanctificantem, sed ante finem vitae suae illam per peccatum mortale perdent. Et tales possunt deleri et delentur de libro vitae, ita tamen, ut deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus aliquid praesciat, postea nesciat, aut aliud praescire incipiat; sed ad rem scitam, quia scilicet Deus scit, aliquem prius per gratiam obtinere ius ad vitam aeternam; et postea hoc ius perdere, cum deficit a gratia. Ita deletionem aliorum de libro vitae explicant praeter s. Thomam, s. Anselmum et alii passim. Satis hoc quidem probabiliter. Sed Ribera (1) respondet II et censet, probabilior, ac s. Scripturae, sanctorumque patrum dictis magis conformem esse sententiam eorum, qui dicunt, reprobos (etiamsi ad tempus iustos, sed finaliter non perseverantes) nullo modo, ne quidem secundum quid in libro vitae scriptos esse; nam Scriptura tantum de praedestinatistis dicit, quod sint inscripti libro vitae; sicut vicissim de non praedestinatistis, etsi forte ad tempus iustis, simpliciter ait, quod eorum nomina non sint in hoc libro; ut patet ex pendenti textus Apocalypseos et aliorum s. Scripturae locorum ad i-

(1) Commentar. in Apoc. c. 5, v. 3.

(2) L. 20 de civ. Dei c. 15.

nitium huius quaestionis supra citatos. Idipsum etiam docet s. Augustinus (2) simpliciter dicens: Liber vitae significat praedestinationem eorum, quibus aeterna dabitur vita. Eadem cum s. Augustino est sententia Aymonis (3) et omnium, qui aliter, quam s. Thomas deletionem de libro vitae explicant, quos statim nominabimus. Sed restat solvenda difficultas; quomodo aliqui deleri dicantur de libro vitae, si non scribantur in eo nisi praedestinati, quos constat deleri non posse. Hanc objectionem proponit et dissolvit s. Augustinus explicans illa verba psalmi 68: *Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur*, in quae ita commentatur: « Isti ergo quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant. Quid est, deleantur de libro vitae? Ut ipsis constet, non illos ibi esse. *Et paullo post*: Sic ergo et hic illi, qui se sperabant tanquam merito iustitiae suae in libro scriptos Dei, cum perducta fuerit damnatio eorum etiam ad cognitionem eorum, delebuntur de libro viventium, id est, non ibi se esse cognoscent. Nam versus, qui sequitur, exponit, quod dictum est: Et cum iustis non scribentur. » Hucusque s. Augustinus. Eodem modo exponit Rupertus (4) illud Moysis Exod. c. 32: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti*. S. Ambrosius paullo aliter explicat, quosdam deleri de libro vitae, nimirum secundum opinionem hominum, in quantum homines opinantur eos in libro vitae scriptos propter praesentem iustitiam, quam in eis vident: sed quando apparet sive in hoc seculo, sive in fu-

(3) Commentar. in Apoc. c. 17, v. 8.

(4) In Exod. l. 4, c. 29.

turo, quod a iustitia seu gratia sanctificante exciderint, dicuntur inde deleri. Haec s. Ambrosii expositio cum s. Augustini explicatione adeo non pugnat, ut una eademque planior ex eis fiat, atque ita eos deleri dicamus de libro vitae, qui vel seipsos putabant in eo esse scriptos, vel homines ex operibus, quae videbant ita iudicabant de illis, sed postea cum deprehenduntur Dei iudicio damnati, adeoque in libro vitae non inveniuntur scripti, dicuntur deleri. Non igitur delentur secundum rei veritatem, sed secundum suam, vel aliorum hominum opinionem. Nam Scriptura saepe loquitur, non ut res ipsae sunt, sed ut ab hominibus iudicantur, seu apparent. Sic (1) legimus: *Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*, et tamen s. Ioseph non erat verus et naturalis Christi pater, sed tantum putativus, seu opinione hominum. Et alibi (2): *Quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*, id est apostolis et ceteris fidelibus simplicibus et humilibus, qui nempe iuxta opinionem mundi parvuli et contemptibiles sunt. Quare merito quasi scripti in libro vitae, aut ex eo deleti dicuntur, qui se in eo scriptos putabant, aut scripti ab hominibus putabantur.

Nihilominus notandum, quod ss. patres communiter et interpretes non hoc sensu cum Ruperto explicent verba illa Moysis: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti*, neque illud Pauli ad Rom. c. 9, v. 3: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*, id est, deleri de libro vitae pro fratribus meis: sed atrique huic textui assignant alium

(1) Luc. c. 2, v. 48.

(2) Matth. c. 11, v. 25.

(3) Epist. 151 ad Algasiam.

sensum. Nam iuxta s. Hieronymum (3) in his duobus textibus Moyses et Paulus loquuntur de vita corporali, ita ut ordinata caritate parati fuerint pro spirituali hebraei populi, vel fratrum utilitate iacturam temporalis suae vitae pati; vel si Moyses loquitur de exitio animae seu deletionem sui nominis ex numero praedestinatorum (ut cum s. Chrysostomo et s. Thoma interpretes communiter intelligunt) haec verba protulit ex ardenti zelo pro salute populi israelitici per quandam exaggerationem et hyperbolem, probe gnarus, se non delendum e libro vitae; idque modo Deum rogavit, quo amantes, qui, dum aliquid ab amico precibus extorquere volunt, conditiones adiiciunt, quas probe sciunt, nunquam implendas et moraliter impossibiles esse, ut v. g., aut hoc fac, aut occide me, quia nisi annueris, vivere non possum. Sic pariter Moyses et Paulus loquuntur in hypothesi impossibili, aut explicare volunt suum desiderium conditionatum, non absolutum: *Mallem deleri de libro vitae, aut esse anathema pro fratribus meis, si modo id fieri posset, et mihi liceret*. Similibus emphaticis et hyperbolicis loquendi formulis etiam usi sunt ss. Xaverius, Salesius, Theresia, alique scilicet intelligendi sunt de conditione impossibili.

OPPONES III. In Apocalypsi (4) scriptum est: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*; et Paulus (5) ait: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar*. Et ecclesia die cinerum rogat Deum, *ut omnium fidelium nomina beatae praedestinationis liber adscripta retineat*; ergo ex prae-

(4) Cap. 5, v. 41.

(5) I. Cor. c. 9, v. 27.

destinato potest aliquis fieri reprobus, et vicissim ex reprobo praedestinatus, iuxta illud s. Augustini effatum: *Si non es praedestinatus, fac, ut praedestineris*; consequenter liber vitae et praedestinatio est mutabilis, proin non potest esse ipsa Dei notitia, vel decretum quod habet de praedestinis. *Respondeo*: Haec omnia non probant, librum vitae, aut praedestinationem esse mutabilem. Nam corona, de qua s. Joannes in Apocalypsi loquitur, non est gloria coelestis voluntate Dei absolute destinata electis, sed merces fidei, patientiae, caeterisque virtutibus promissa et praeparata, non absolute, sed conditionate, nempe sub conditione perseverantiae in bono, ita, ut sensus sit: retine fidem, patientiam, ne quis coronam fidei et patientiae dumtaxat conditionate promissam, te non perseverante, sed cadente, accipiat. Ita *Cornelius a Lap.*, aliique hunc locum exponunt. Ex dicto autem s. Pauli corpus suum castigantis id unum legitime inferri potest, hunc apostolum eo tempore, quo ista scripsit, nondum habuisse revelationem, plenamque certitudinem de aeterna sua salute. Ex quo quidem sequitur, praedestinationem, seclusa speciali revelatione, esse incertam *quoad nos*, non autem esse incertam *quoad se*, aut mutabilem. Denique ad vulgatum illud, *si non es praedestinatus, fac ut praedestineris*; respondeo, haec verba non inveniri in operibus s. Augustini, sed ista (1): *Non traheris, ora ut traharis*. Illud autem effatum non est intelligendum de ipso praedestinationis decreto divino, quasi Deus nondum decreverit nostram praede-

(1) Tract. 26 in Joannem s. Augustinus in illa Christi verba Ioan. c. 6, v. 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui mihi me, traxerit eum*, ita commentatur: *Magna gratiae commendatio. Nemo venit,*

stinationem, et possit moveri nostris precibus, ut nunc eam decernat (absurda enim foret haec expositio): sed intelligendum est de executione praedestinationis, ita ut sensus sit: nondum percipis in te effectus praedestinationis, gratias efficaces, seriam salutis curam, etc., ora, ut percipias. Caeterum, si quaeras: an homo reprobus seu non praedestinatus non possit facere, ut sit praedestinatus et aeternum salvetur? *Respondeo*: potest hoc *potentia antecedente* seu *in sensu diviso reprobationis*, quem sensum divisum homo facere potest, servando mandata Dei; sed non potest hoc *potentia consequente*, seu *in sensu composito reprobationis*, hoc est, homo potest quidem facere, ut Deus ipsum ab aeterno praevideat, finali gratiae cooperaturum, sicque potest impedire sui reprobationem; quia Deus neminem reprobat, nisi quem praevidet, finali gratiae dissensurum; at si homo finali gratiae dissentiat, sicque faciat, ut Deus eum ab aeterno praevideat, huic gratiae dissensurum, et in peccato moriturum, ac proin eundem reprobet, non potest simul facere, ut Deus hoc non praevideat, aut ipsum non reprobet: cum res, ex supposito quod sit, non possit non esse: potest tamen homo, ut paulo ante dixi, facere, ut nunquam data sit in Deo haec praevisionis, aut decretum reprobativum, sed potius praevisionis de eius cooperatione cum gratia finali, ac proin etiam decretum praedestinativum ad gloriam coelestem tanquam mercedem et coronam meritorem: prout theologi pluribus explicare solent in tractatu de Deo,

nisi tractus... Quare autem illum trahat, et illum non trahat, noli velle indagare, si non vis errare. Semel accipe et intellige, non traheris, ora, ut traharis.

ubi de Dei praescientia et praedestinatione agunt.

QUAESTIO X. *An plures homines sunt salvandi, vel damnandi?* Antequam respondeam, observo, quod in Apocalypsi verbis illis: *Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat... stantes ante thronum* (1), significatur innumerable multitudo praedestinatorum. Unde occasione huius versus Apocalypseos, iuvat examinare celebrem illam quaestionem, pluresne sint salvandi, quam damnandi? Scio quidem, quod *Vasquez* (2) censeat, hanc quaestionem esse ferme inutilem et parum conducentem ad aedificationem fidelium: imo posset ea alicui videri temeraria, cum s. Scriptura non semel (3) testetur, numerum electorum esse mysterium soli Deo cognitum, et ecclesia (4) cum s. Thoma (5) dicat, *numerum electorum esse soli Deo cognitum*. Verum nec inutilis est haec quaestio; servit enim maxime magnificandae misericordiae divinae, vel vicissim iustitiae, fovendae mortalium spei, vel salutari timori, et exaltando coelitem gaudio. Nam quot in coelis socii, tot gaudia, gaudiumque invalescit proportionem invalescentis beatorum hominum multitudinis. Neque est temeraria; Scriptura enim, ecclesia, et d. Thomas citatis locis loquuntur de numero certo, definitoque electorum; ab hoc autem investigando nos alieni sumus, quam qui maxime, id unum inquirentes, utrum electi homines numerosiores sint hominibus reprobis, nihilque addimus de numero certo, definitoque electorum, cuius scientia obsignata est sigillis septem ab ipso Christo solvendis Apoc. 5, v. 1,

(1) Apoc. c. 7, v. 9.

(2) In p. 4, disp. 104, n. 12.

(3) Ioan. c. 10, v. 27. Item II. Timoth. c. 2, v. 9, et alibi.

ut hunc locum plurimi interpretes exponunt apud *Cornelium a Lap.* Praeterea, quando s. Thomas ait, soli Deo esse cognitum numerum electorum, loquitur de cognitione infallibili et scientifica, ac vult, nihil certi hac in re haberi; hoc autem non impedit, quominus studeamus rem hanc discutere cognitione quadam coniecturali, quae non nisi verisimilitudinem fundet.

His praenotatis, ad propositam quaestionem non tam respondeo, quam varias variorum auctorum opiniones recenseo, apud quos haec quaestio fusius discussa legi poterit. Ego tantum paucis indicabo, quid de singulis hisce opinionibus sentiam, aut sentiendum sit.

Itaque I. Si sermo sit *de hominibus absolute omnibus*, qui a principio mundi usque ad finem mundi fuerunt, et futuri sunt, est communis doctorum catholicorum et vera sententia, numerum reproborum esse multo maiorem numero salvandorum. Maxima enim pars hominum sunt ethnici, aut iudaei, aut mahometani, aut haeretici, quibus nostra aetate accensendi sunt indifferentistae, et theistae numero plurimi: hi omnes aeternum peribunt, nisi ad unitatem catholicam, et veram fidem revertantur. Unde verisimum est illud Christi effatum (6), *arcta est via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam*.

Putat quidem *Hieronymus Plazza* (7) et prolixè conatur ostendere, sententiam benignam de maiore numero electorum, quam reproborum, etiamsi universum hominum genus spectetur, esse *saltem probabilem*, nullaque censura theologica perstringendam. Verum oppositam sen-

(4) In collecta secreta dom. I. Quadr.

(5) 1. part. q. 25, art. 7 in o.

(6) Matth. c. 7, v. 14.

(7) De paradiso part. 5, cap. 5.

tentiam (maiolem videlicet esse numerum reproborum, quam praedestinatorum, si universum hominum genus, seu omnes ab origine usque ad finem mundi existentes homines spectentur) de fide esse apud *Henao* (1) docent *Alarcon*, *Montepilosus*, *Aravius*. Certam eam vocat *Ruiz de Montoya* (2), communem et veram *Suarez* (3).

II. Si sermo sit de solis christianis, seu baptizatis, (sive sint catholici sive acatholici) tam adultis, quam ante usum rationis morientibus simul computatis, videtur certa sententia (ut *Hieronymus Plazza*, et *Ruiz de Montoya* (4) advertunt) maiorem esse numerum praedestinatorum, quam reproborum. Adhibita enim omni diligentia, consultisque parochis, medicisque, et exploratis libris infantium et adultorum, qui sepulti iacent in primaria, numerosissimaque parocchia Hispalensis civitatis, et in quibusdam aliis parochialibus templis, subducta ratione octo aut decem annorum, laudatus *Ruiz* deprehendit, aliquando maiorem, aliquando vero minorem resultare numerum infantium, quam adultorum morientium; semper inaequalitatem esse exiguam. Unde, si his infantibus, quorum omnes, aut plerique baptizati sunt, addas adultos catholicos, et etiam acatholicos illos, qui dumtaxat materialiter haeretici sunt, et in statu gratiae decedunt, item liberos haereticorum ante amissam gratiam baptismalem morientes, haud dubie maior erit numerus electorum quam reproborum.

III. Si sermo sit de solis christianis adultis, intelligendo nomine christianorum non tantum catholi-

(1) P. 2 *Empyreol.* l. 6, exercit. 21, sect. 19, n. 142.

(2) De praedest. disp. 54, sect. 1, n. 5.

(3) De Deo uno, de praedest. l. 6, c. 5.

cos, sed etiam haereticos, apostatas, et schismaticos fidem in Christum profitentes, in hac, inquam, generalitate loquendo, probabilius mihi est, maiorem esse numerum reproborum, quam electorum. Nam haeretici, apostatae, et schismatici semper fuerunt in magno numero, qui adiuncto numero impiorum fidelium male morientium, plane excedit numerum sancte morientium. Ita etiam sentit *Suarez* (5), aliique.

IV. Si sermo sit de solis catholicis, attamen tam adultis, quam ante usum rationis morientibus, iterum indubitatum est, plures salvari, quam damnari, ex ratione supra in assertionem 2^a adducta. Saepius enim observatum est (ut cum *Ruiz de Montoya*, etiam *Segneri* in suo homine christiano P. I, discurs. 5 advertit), totidem fere mori sacro fonte ablutos ante discretionis annos, quot adultos. Unde si illis infantibus addantur reliqui omnes catholici, qui adulti salutem consequuntur, obscurum non est, maiorem eorum, quam reliquorum numerum esse; plures proinde necesse est, esse catholicos salvos, quam damnatos; maxime cum ad felicem hanc turbam pertineant etiam liberi haereticorum parentum, ante amissam gratiam baptismalem decedentes.

Si autem quaestio instituat de solis catholicis adultis, non adnumeratis infantibus, controversia est, in utramque partem probabilis. Multi defendunt, ex adultis catholicis plures damnandos, quam salvandos, iuxta illud Christi effatum (6): *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Pro severiore hac sententia non immerito citantur s. *Gregorius M.*, s. *Augustinus* et s. *Chrysostomus*. Nam

(4) Locis supra citatis.

(5) Loc. cit.

(6) *Matth.* c. 20, v. 16, et c. 22, v. 14.

s. *Gregorius M.* (1) ait: « Multi ad fidem perveniunt, et ad coeleste regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam festivitatem quam multi convenimus, parietes ecclesiae implemus: sed tamen quis sciat, quam pauci in illo electorum grege numerantur?

S. *Augustinus* vero (2) inquit: *Ipsi boni verique christiani, qui per seipsum multi sunt, in comparatione malorum falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum. Ergo sicut in area maior est palearum numerus, quam tritici, ita et in ecclesia plures sunt reprobi, quam praedestinati. Nam verba illa s. doctor videtur de solis catholicis protulisse, non de haereticis aut aliis christianis, qui ecclesia exierunt. Dixerat enim paulo ante: Imo non tantum haereticis, verum etiam caeteris hominibus malis plenus est orbis. Denique s. *Chrysostomus* (3) in haec verba pronuntiat: *Quot putatis esse in hac civitate, qui salvi fiant? Non possunt inveniri in tot millibus centum, qui salventur. Quin et de his dubito. Quanta enim in iuvenibus malitia? quantus in senibus tepor? Quod utinam non de singulis christianorum civitatibus vere dici posset!**

Confirmatur haec severior sententia etiam ratione. Nam pauci tota vita servant innocentiam, paucique post peccatum condignam agunt poenitentiam. Et quamvis plurimi ante mortem suscipiant sacramenta, con-

versio tamen ad mortem usque dilata, raro est vera, ac frequentissime ad minimum dubia; adeoque talis non est, quae spem satis firmam de plurimorum salute fundari queat. Ita *Paulus Segneri* (4), aliique magni nominis, et concionatores fere omnes, praecipue de la *Volpilière* part. II, conc. 55, *Loriot*, part. 1, conc. 41, *Michaël a s. Catharina*, ord. Eremit. discalc. s. *Augustini* vol. I, tract. 25, ubi vehementer propendet in sententiam, plures etiam ex sacerdotibus, religiosis, et monialibus damnari.

Nihilominus benignam hac in opinionem tanquam vere probabilem et Dei clementiae, Christique Domini meritorum ac sacramentorum efficacitati magis consentaneam defendunt *Calini* (5), *Suarez* (6) *Lorinus* (7), *Marin* (8), *Alarcon* (9), aliique. Nam, ut *Suarez* ait, licet maior pars adultorum saepius mortaliter peccent, tamen saepius resurgunt, et ita cadendo et resurgendo vitam transigunt. Tandem vero in fine pauci sunt, qui per sacramenta non praeparentur ad mortem, et de peccatis doleant, saltem per attritionem: hoc autem sufficit, ut in eo tempore iustificentur. Et postquam iustificentur, facile solent illo parvo tempore perseverare sine novo peccato mortali; ergo pensatis omnibus, verisimilius est plures ex adultis catholicis salvari.

Neque obstant illa Christi verba: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Varias enim sunt et bene fundatae explicationes horum verborum, fa-

(1) Homil. 49 in Evang.

(2) L. 5 contra Cresconium, c. 66.

(3) Homil. 40 ad populum antiochenum, et homil. 24 in acta apost. Porro licet Antiochiae multi fuerint ethnici et infideles; tamen Constantinopoli, ubi homines in Acta apost. iam episcopus composuit, omnes aut plerique erant christiani. Vide Hom. 9 in Act. apost.

(4) In homine christiano part. 1, serm. 5.

(5) In Samuele eccles. 1. 4, serm. 159.

(6) Loc. cit. nempe l. 6, de praedest. c. 5.

(7) In psalm. 158, v. 48.

(8) Tom. 1 theol. tract. 5 de praedest. d. 54, sect. 2, n. 12.

(9) Disp. 6, c. 2, n. 4.

ventes benignae sententiae. Memoro solum duas: s. *Hieronymus* (1) praedicta verba sic exponit, ut per *paucos electos* non intelligantur omnes praedestinati, sed dumtaxat residui catholici tempore Antichristi. Ratio ita exponendi textum est: quia ibi agitur de parabola vocatorum diversis diei horis: hae autem diversae horae iuxta s. *Gregorium* et alios, diversas mundi aetates significant; unde illud dictum de ultimis vocatis ad undecimam, loquitur de ultimis catholicis sub finem mundi. Nimirum vocati per quinque sacras mundi aetates (ab *Adamo* a *Noë*, a *Noë* ad *Abraham*, ab *Abraham* ad *Moysem*, a *Moyse* usque ad adventum *Christi*, ab huius adventu primo usque ad finem mundi) multi sunt; electi, qui residui erunt tempore Antichristi, pauci. Aliam expositionem affert *Salmeron* (2) nomine vocatorum intelligens praedestinos, nomine vero electorum illos, qui inter eosdem praedestinos ad peculiare et extraordinarios favores, aut ministeria electi sunt. Hunc enim in modum laudatus interpretes disserit: Haec conclusio (multi sunt vocati, pauci vero electi) multos terrere solet; sed meo iudicio potius omnes consolatur... Nam cum tam electi, quam vocati denarium beatitudinis accipiant, et omnes in coelestem gloriam recipiantur, non est, quod quemquam perterrefaciat haec sententia. Multi enim sunt vocati, id est, omnes operarii ad vineam vocati sunt colendam: pauci vero electi; quia pauci sunt habentes praerogativas et privilegia ministrorum novi testamenti.

(1) Comment. in Isai. c. 24, v. 15.

(2) Tom. 7, tract. 35, n. 55.

(3) In Matth. c. 20, v. 16. Et c. 22, v. 14.

(4) Loc. cit.

(5) Ibid.

Plura de expositione citati versus, in favorem benignae sententiae vide apud *Ignatium Weitenauer* (3), *Calini* (4), *Hieronymum Plazza* (5), aliosque.

Ad auctoritatem ss. patrum *Gregorii*, *Chrysostomi*, et *Augustini*, videtur responderi posse, civitates et populum, de quo illi locuti sunt, fuisse moribus valde corruptis, quod non de qualibet civitate christianorum, aut villis et pagis omnibus praesumendum est, aut illos locutos esse hyperbolice seu per exaggerationem, prout saepe loqui solent viri sancti, quibus ardentissimo divinae gloriae zelo flagrantibus, semper nimium videntur pauci, qui Deum ament, eique sincere serviant. Sic locutum esse arbitratur *Calini* s. *Chrysostomum* in homil. 40 ad populum antioch., cum dixit, Antiochia vix centum a peccato liberos esse; vix enim credibile videtur, in tam ampla civitate, a sacro oratore suo tam zeloso, nempe a s. *Chrysostomo* exculla, tam raros fuisse iustos (6). Caeterum in magna civitate, qualis ea tempestate erat Antiochia, plena idololatris, arianis, pelagianis, et catholicis, sed pessime moratis, merito s. *Chrysostomus* auditores suos perterrefacere potuit illa comminatione, quod in simili vivendi ratione vix centum salvi forent. Idem ferme dici potest, si supponas, hanc homiliam Constantinopoli urbe regia ad omnis status christianos, quorum plurimi erant moribus corrupti, fuisse directam. Verum, si attente legatur haec homilia, ait *Calini*, sensum s. doctoris longe alium habet, nempe non hunc,

(6) Idem a potiori dicendum, si cum *Paulo Segneri* supponas, hanc homiliam a s. *Chrysostomo* Constantinopoli, ubi tunc temporis fatente ipso *Segneri* non nisi christiani erant, fuisse e suggestu prolatam.

quod ex tot millibus hominum vix centum sint praedestinati et in coelum perventuri, sed istum, quod vix centesimus sit, qui gratiam in baptismo acceptam constanter servet. Hinc in homil. 24 in Act. apostol. non ait: *Quot putatis esse in civitate nostra, qui salventur*, sed *qui serventur*, nempe in statu innocentiae? Atque respondet: *Non est in tot millibus centesimum invenire, qui servetur; sed etiam de illis dubito*. Ubi ipsa vox *servetur* penitus convenit contextui, de conservanda bonitate morum. Hinc, ut probet, paucissimos conservari bonos, ob oculos ponit vitia juvenum atque senum, per quod confirmat assertum suum, quod paucissimi in bonitate morum, et recepta gratia baptismatis conserventur. Ex quo inferri nequit, etiam paucissimos fieri salvos. Vae mundo, si soli innocentes, qui nunquam peccaverunt, salutem consequerentur! Denique etiam illud notandum, quod nec s. *Chrysostomus*, nec s. *Gregorius* illa effata sua ex revelatione divinitus accepta protulerint; loquuntur enim non ex certa scientia, sed tanquam de re dubia: *quis sciat, quam pauci*, etc... *Quin et de his dubito*. Denique ad obiectum s. *Augustini* textum etiam illud advertit *Calini*, Augustinum loqui non de solis catholicis, sed de christianis universim. Patres enim, ut hic auctor censet, nomine *christianorum* et *ecclesiae* communiter non intelligunt solos catholicos, sed etiam illos omnes, qui Iesum Christum quoquo modo agnoscunt; quoniam vero inter istos magnus invenitur numerus apostatarum, haereticorum et schismaticorum, sane mirum non est, quod isti una cum adiunctis malis catholicis in peccato morientibus, permagnam constituant numerum damnatorum.

Ex his etiam patet, quid respondendum ad visiones, quae de ingenti numero reproborum habitae dicuntur. Nam hae, siquidem verae sint (ab ecclesia enim nec recipiuntur, nec proponuntur tanquam canonicae) plus non evincunt, quam homines instar nivium ad inferos decidere, quia videlicet maximus est numerus illorum, qui quotidie male moriuntur, idololatrarum, turcarum, iudaeorum, haereticorum, isti quippe soli infideles ad confirmandam eiusmodi visionem sufficiunt. Ad haec observanda vicissitudo temporis est; etenim die quadam praelii inter turcas et haereticos, larga fuerit messis daemonis; at vero, dum una die viginti, triginta, vel plura martyrum millia trucidabantur, messis abundantior erat pro coelo.

Ita sunt argumenta de maiori numero reproborum vel electorum (spectando solos catholicos adultos) in utramque partem a me proposita. Res est, et manet dubia. Eligat prudens ac pius lector illam ex alterutra opinionem, quae ipsi videbitur s. Scripturae, ss. patribus, et rationi conformior. Vehementer metuo, ne prima, id est, severior opinio vera sit.

QUAESTIO XI. *Cuius naturae et qualitates est coelum empyreum?* Licet coelum empyreum, seu sedes beatorum non solum sensus nostros, sed etiam humanam rationem excedat, ut ex illo I. Cor. c. 2, v. 9: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, lique et s. *Thomas* (1) probat: tamen ex s. Scriptura, praesertim ex cap. 21 et 22 Apocal. et ex fine, ob quem hoc coelum conditum a Deo fuit, illius naturam, conditionem, et proprietates colligere et declarare aliquo modo possumus.

(1) In 2 sent. q. 2, dist. 2.

Et I. quidem coelum empyreum probabilius non est totum solidum, prout quidam veteres (1) voluere; sed, quamvis fortassis in parte extrema seu suprema et convexa sua superficie, itemque in parte infima, seu (ut ita loquar) in pavimento solidum corpus sit, instar crystalli vel adamantis; in tota tamen regione interiore et intermedia fluidum est, atque spirabile instar aëris vel aetheris per immensa illa spatia undequaque diffuens, velut aura coelestis; quemadmodum praeter alios censent *Lessius* (2), *Henao* (3), *Hieron. Piazza* (4), quorum opinioni favent s. *Ambrosius*, s. *Basilii*, et s. *Damascenus* lib. 2 De fide, c. 6, docentes, coelos non esse solidos, sed tenues et fluidos, ita, ut instar aquae vel aëris secari et dividi possint. Si enim totum esset solidum, tam angeli, quam homines beati, et hi quidem post resurrectionem in corporibus suis gloriosis habitare deberent in solido vitro, vel crystallo, aut alia materia naturaliter non permeabili; quod haud est credibile. Certe si empyreum spirabile non esset, et facile permeabile, non possent corpora beatorum naturaliter se movere, neque loqui, neque olfacere; quare mille miracula absque necessitate, multiplicanda forent. Accedit, quod dos subtilitatis, seu vis penetrandi corpora, qua praedita erunt corpora gloriosa, illis divinitus concessa sint potius ob motum nullo obstaculo corporeo impediendum, quam ob commorationem in corpore solido. Si autem quaeras, quanta inter partem infimam et supremam coeli empyrei,

(1) Vide *Suarez*, l. 1 de opere sex dierum, cap. 5.

(2) L. 5 de summo bono, c. 8, n. 101.

(3) L. 4 *Empyreolog. exercit.* 14, sect. 1.

(4) *Dissertat. de paradiso*, part. 1, c. 4, § 5.

quarum spatium intermedium aura illa coelestis occupat, sit distantia? Respondeo: hoc nobis prorsus incognitum est: credibile tamen est, ut *Lessius* loc. cit. ait, distantiam fore longe maiorem, quam sit intervallum inter superficiem terrae, et lunam, quae iuxta recentiores astronomos circiter 60 semi-diametris terrae, seu 48,000 milliaribus germanicis a nobis distat. II. Coelum empyreum est immotum, seu non volvitur in gyrum, sicuti moventur planetae, et iuxta veterum opinionem coeli inferiores. Nam motus iste circularis et supervacaneus est, et minus conveniens fini, ob quem coelum empyreum a Deo creatum est. Videtur enim valde indignum, quod perpetuo cum illo rapiantur, et in gyrum volvuntur beati, et sanctissima Christi humanitas. III. Coelum empyreum lucidissimum est, splendet, et oculos beatorum mire recreat, tum luce sibi propria atque innata, non extrinsecus mutuata, prout planetae mutuam a sole lumen accipiunt, tum etiam splendore ineffabili corporum gloriosorum, praesertim Christi et B. Virginis, iuxta multiplicia s. Scripturae testimonia (5). Lumen autem gloriae non oculos corporeos, sed mentes beatorum illustrat et elevat ad Deum ipsum videndum. Nam hoc lumen est donum supernaturale, quo mens humana elevatur et juvatur, ut possit clare et perfecte concipere ac intueri naturam divinam (6). IV. Coelum empyreum est altitudinis, et amplitudinis immensae ac incredibilis, iuxta illud prophetae *Baruch* (7): *O Israël, quam magna est domus Dei, et ingens lo-*

(5) *Apoc.* c. 21, v. 22, 23, et *Isa.* c. 60, v. 19, 20, et *Matth.* c. 13, v. 45.

(6) Vide *Lessium* l. 2, de summo bono, c. 8.

(7) *Cap.* 5, v. 24.

cus possessionis eius! Profecto, si orbis terrae universus punctum est exiguum respectu coeli syderei, ut astronomi demonstrant: quid tandem erit respectu coeli empyrei longe magis expansi, et sublimioris?

AT INQUIES: Si tam ingens et immensa est coeli empyrei altitudo, et a terra distantia, qui fieri potest, ut angeli, aut animae sanctorum velut momento temporis inde et ad nos descendant, et illuc revertantur, aut assumptis suis corporibus post universalem resurrectionem in idem coelum commigrent? Nam, ut s. *Bernardus* (1) ait: *Tanta futura credenda est corporum levitas et agilitas beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate, ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem.* Idem affirmat s. *Anselmus* (2) et *Honorius Augustodunensis* (3). Respondeo, hanc esse praerogativam, seu dotem corporis gloriosi, quae vocatur *agilitas*, et vi cuius beati in suis corporibus possunt exercere motum velocissimum in remotissima spatia, ut fusius exponunt *Hieron. Piazza* (4), *Lessius* (5), *Petarivius* (6), *Suarez* (7), et alii. Certe, si conditor omnipotens tantam vim pulveri pyrio indere potuit, ut stupenda celeritate propellere possit globum tormentarium; cur non poterit velocitatem multo maiorem communicare spiritibus, aut corporibus gloriosis? Sciunt sane omnes mathematici et philosophi, quod,

(1) *Serm.* 4 in festo omnium ss. n. 6.

(2) In *Prosologio*, c. 25.

(3) L. de cognitione verae vitae cap. 45, app. tom. 6 oper. s. Augustini, col. 482, edit. Maur.

(4) De paradiso, part. 3, c. 5, § 4.

(5) *Loc. cit.* c. 6, n. 72.

(6) *Tom.* 5, l. 1, c. 15.

(7) De Angelis, l. 4, c. 19, et tom. 5, in 3 p. disp. 48.

sicut tempus in infinitum divisibile est, ita etiam celeritas maior et maior sine fine possibilis sit.

CAPUT IV.

De arbore vitae, deliciis sensuum, et aureolis in coelo.

QUAESTIO XII. *An in coelo reapse et in sensu literali datur fluvius, et ex utraque fluvii parte dispositae arbores vitae, quas describit s. Ioannes Apoc. 22, v. 1, et 2?* Respondeo: Quamvis hic locus Apocalypseos ab *Alvarez de Paz* (8), aliisque in sensu mystico de perfectione, vel de dotibus beatificis ac bonorum et gaudiorum coelestium affluentia exponi soleat: non desunt tamen graves auctores, nominatim *Corn. a Lap.* (9), et *Tirinus* (10), qui censent, citatum Apocalypseos locum praeter sensum mysticum etiam habere sensum literalem, ac in coelo ad litteram verum fore fluvium, veras arbores, vera poma, veros flores et res floridas, odoriferas, amoenas, quae visum, odoratum, et tactum corporalem sanctorum perpetuo pascent et continua voluptate perfundent; prout etiam expresse docent s. *Augustinus*, vel quicumque est auctor libri meditationum inter opera *Augustini* (11) contenti, s. *Anselmus* (12), et *Lavent. Iustinianus* (13) pluresque alii. Id enim et facile Deo et conforme naturae corporali, et variis revelationibus est compertum (14). Si enim ut quaestione praecedente probavi-

(8) L. 3 de perfect., p. 2, c. 15, et seqq.

(9) In *Apoc.* c. 22, v. 2, prope finem.

(10) In hunc Apocalypseos locum.

(11) *Tom.* 9, l. Meditat. cap. 26 in Hymno de gloria coelesti.

(12) L. de similitudinibus, c. 87.

(13) De disciplina monast. convers., cap. 25.

(14) Videatur s. *Gregorius*, l. 4 *Dialog.* c. 56. Item vita s. *Dorotheae* 6 februarii.

mus, aura est in coelo empyreo purissima et suavissima, quae instar aëris nostri finditur et scinditur; quidni sit et aqua et horti et fructus, sed aetherei et coelestes, quibus sensus omnes corporei beatorum etiam corporaliter delectentur, ut oblectandos mox ostendemus quaestione sequenti?

AT DICES: in citato loco Apocalypseos dicitur, quod lignum vitae ex utraque parte fluminis situm, per singulos menses ferat novos fructus. Quis autem hoc credat verum esse in sensu litterali? Dein non est finis fructuum corporalium in coelo, quia beati non esuriant, neque sitient amplius, prout legimus Apoc. c. 7, v. 16. Respondeo, haec non ob stare, quominus praedictus locus accipiatur in sensu litterali. Nam quid mirum, quod arbores paradisi coelestis singulis mensibus fructum ferant, cum hoc faciant quaedam arbores in loco exilii? Palma enim ad singulos lunae ortus, singulos etiam ramos procreat, ita, ut duodecim ramorum productione annus expleatur; quocirca Aegyptii annum indicantes pingebant palmam, inquit apud Cornelium a Lap. Horus Apollo (1). Et in vita Onuphrii (2) legimus, eum fugientem in eremum consedisse iuxta fontem et palmam, quae singulis mensibus fructum, seu dactylum ei proferebat. Caeterum, ut Tirinus observat, arbores illae coelestes singulis mensibus proferentes fructum Apoc. 22, v. 2, in sensu mystico significant, continuam in beatis esse voluptatum et beatitudinis renovationem, eamque semper completam atque perfectam. Quod autem attinet verba Apoc. 7, v. 16, ex iis non probatur, nullas in coelo futuras delicias sensuum,

(1) In Hierog. cap. 5.

(2) In vitis Patrum, lib. 6, libello 3, p. 41.

puta gustus, sed tantum nihil beatitudinis defuturum, quod pertinet ad ipsorum beatitudinem, ut Ribera hunc locum recte exponit, nullasque amplius ipsos a fame et siti, passuros molestias. Caeterum neque nos dicimus, gustum beatorum recreandum per cibos corporeos, sed alio modo, id quod ex quaest. sequenti patebit.

QUAESTIO XIII. An beati in coelo habebunt etiam delicias sensuum? Respondeo: In primis certum est, gloriam animae redundaturam in corpus beatorum, hocque ornandum dotibus gloriosis impassibilitatis, claritatis, agilitatis et subtilitatis, iuxta effata s. Scripturae (3) et unanimem doctrinam catholicorum (4). At quaestio ulterior est, utrum praeter praedictas quatuor dotes, singuli sensus corporis gloriosi habituri sint suas proprias delectationes? Ad quod quaesitum Lessius (5) cum aliis tum in praecedente quaestione citatis, tum in praesenti quaestione infra citandis respondet his verbis: « Non est dubitandum, quin sensus quoque externi in beatis suas functiones, et congruas delectationes post resurrectionem habituri sint. Certum enim est beatorum corpora non fore sensibus destituta, sed perfectissime instructa, cum perfectissimis organis ad usum eorum opportunis; ac proinde habitura sensuum usum, eumque perfectissimum. Et sane frustra resumeretur corpus, si non foret ibi sensuum usus et oblectatio; cum corpus humanum non sit necessarium aut utile animae, nisi propter sensuum usum. Confirmatur primo, quia singuli sensus capaces sunt summae cuiusdam perfectionis sui ordinis, quae singulo-

(5) I. Cor. c. 45, v. 42, 43 et 44.

(4) V. Lessium l. 3. de summo Bono, c. 3.

(5) Loc. cit. cap. 8.

rum est beatitudo et vita beata, quam facile et sine incommodo vel indecoro possunt in patria habere: cur ergo reipsa non habeant? Confirmatur secundo, quia anima humana non solum est rationalis, sed etiam sensitiva; et in utraque parte capax oblectationum et vitae cuiusdam beatae: ergo non solum in parte rationali beari debet (quod fiet per visionem et fruitionem Dei), sed etiam in parte sentiente, quod fiet perceptione praestantissimorum obiectorum sensibilium, singulis sensibus accommodatorum. Confirmatur tertio, sancti in sensibus habuerunt multas afflictiones et mortificationes propter Christum, ut patet ex tormentis martyrum, et austeritate vitae religiosorum. Ergo par est, ut in iisdem recipiant quoque consolationes et praemia singulis sensibus etiam externis accommodata. Quarto confirmatur a contrario. Damna enim in omnibus sensibus recipient maxima tormenta: ergo beati in iisdem maxima solatia. Non enim est Deus severior in puniendo, quam benignior in remunerando.

Nunc singulorum sensuum oblectamenta consideremus, ac primum: Visus habiturus est suam beatitudinem in aspectu corporum beatorum, maxime Christi Domini (1) et beatissimae Virginis. « Cum unum civem coelestem, ait Dionysius Carthus. (2), in suo decore et gloria cernere omne gaudium praesentis vitae transcendat, quam iucundum erit tam innumerabilem supernorum civium multitudinem in suo decore et gloria feliciter sine fine inspicere? » Et ven. Bellarminus (3)

(1) Vide Suarez in 3 part. tom. 2, disp. 47, sect. 6, conclus. 6.

(2) De mutua cogn. Sanct. in patria, art. 15.

(3) De aeterna felicitate Ss. l. 4. c. 5.

« Quantum, ait, laetificat sol unus exorta suo universam terram! quid igitur erit videre simul innumera-biles soles, non sola luce illustres, sed membrorum varietate et venustate pulcherrimos? Neque in eo loco claudendi erunt oculi, ne forte a nimio splendore laedantur; nam et ipsi oculi beati erunt, ac per hoc impassibiles et immortales. » Et ut Lessius (4) ait: splendor corporum non turbabit spiritus oculorum in beatis, sicut splendor solis in hac vita; sed suavissime corroborabit... His accedet aspectus aliarum rerum pulcherrimarum quae ibi erunt (5). Si enim in hoc exilio et lacrymarum valle tanta est multitudo et pulcritudo rerum et colorum et formarum ad oblectandos oculos, quanta erit in patria? Quanto enim coelum, terra, et status illius beatae vitae statu huius vitae est praestantior, tanto ibi omnia decet esse praestantiora et pulchriora. » Porro de beatitate visus in gloriosis corporibus etiam disserit s. Bernardinus senensis (6).

AUDITUS beatitudinem suam obtinebit tum in perceptione suavissimi cantus, quo beati omnes, teste s. Scriptura, Deum laudabunt, tum in sermocinatione mutua sanctorum. De primo, iuxta Hugonem cardinalem, Lyranum, Bellarminum, Lessium, pluresque alios (7), Psalmista (8) loquitur in sensu anagogico, dicens: *Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in gutture eorum. Exaltationes Dei vocat laudes, quibus Deum extollent. Has ait fore in gutture eorum, non ergo tantum in animo; nec solum cogi-*

(4) Loc. cit. c. 8.

(5) Vide praecedent. quaestion. 12.

(6) Tom. 1. op. serm. 65, art. 2, c. 2.

(7) Vide Lorinum comment. in psalm.

149, v. 6. (8) Psalm. 149, v. 5 et 6.